

## DE COMPASSIONE BEATAE MARIAE

Stabat mater dolorosa  
juxta crucem lacrimosa  
dum pendebat filius,  
cuius animam gementem,  
contristantem et dolentem  
pertransivit gladius.

O quam tristis et afflita  
fuit illa benedicta  
mater Unigeniti,  
quae moerebat et dolebat  
et tremebat, dum videbat  
nati poenas incliti.

Quis est homo, qui non fleret  
matrem Christi si videret  
in tanto suppicio?  
Quis non posset contristari,  
piam matrem contemplari  
dolentem cum filio?

Pro peccatis suae gentis  
vidit Iesum in tormentis  
et flagellis subditum;  
vidit suum dulcem natum  
morientem, desolatum,  
dum emisit spiritum.

Pia mater, fons amoris  
me sentire vim doloris  
fac, ut tecum lugeam;  
fac, ut ardeat cor meum  
in amando Christum Deum,  
ut sibi complaceam.

Sancta mater, istud agas,  
crucifixi fige plagas  
cordi meo valide,  
tui nati vulnerati,  
tam dignati pro me pati  
poenas mecum divide!

Fac me vere tecum flere,  
crucifixo condolere,  
donec ego vixero;  
juxta crucem tecum stare  
et me tibi sociare  
in planctu desidero.

Virgo virginum praecilla,  
mihi iam non sis amara,  
fac me tecum plangere,  
fac, ut portem Christi mortem,  
passionis eius sortem  
et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari  
cruce fac inepti  
ob amorem filii;  
inflammatus et accensus  
per te, virgo, sim defensus  
in die iudicii.

Fac me cruce custodiri,  
morte Christi praemuniri,  
confoveri gratia.  
Quando corpus morietur  
fac, ut animae donetur  
paradisi gloria.

## **VERBUM BONUM ET SUAVE**

1. Verbum bonum et suave,  
personemus illud „Ave“,  
per quod Christi fit conclave,  
virgo, mater, filia;
2. per quod „Ave“ salutata  
mox concepit fecundata  
virgo, David stirpe nata,  
inter spinas lilia,
3. ave, veri Salomonis  
mater, vellus Gedeonis,  
cuius magi tribus donis  
laudent puerperium,
4. ave, solem genuisti,  
ave, prolem protulisti, ave,  
mundo lapsi contulisti  
vitam et imperium,
5. ave, mater Verbi summi,  
maris portus, signum domi,  
aromatum virga fumi.  
angelorum domina;
6. supplicamus, nos emenda,  
emendatos nos commenda  
tuo nato ad habenda  
sempiterna gaudia.

## **VINUM BONUM ET SUAVE**

1. Vinum bonum et suave,  
bonis bonum, pravis prave,  
cunctis dulcis sapor, ave,  
mundana laetitia.
2. Ave, felix creatura,  
quam produxit vitis pura,  
omnis mensa fit secura  
in tua praesentia.
3. Ave, color vini clari,  
ave, sapor sine pari,  
tua nos inebriari  
digneris potentia.
4. Ave, placens in colore,  
fragrans in odore,  
ave, sapidum in ore,  
dulce linguae vinculum.
5. Ave, sospes in molestis,  
in gulosis mala pestis.  
Post amissionem vestis  
sequitur patibulum.
6. Monachorum grex devotus,  
omnis ordo, mundus totus  
bibunt adaequales potus  
et nunc et in saeculum.